



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Landelinvs Conf. 15. Iunij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

15.Iunij. VITÆ S A N C T O R V M . 295  
quād tyrannum reddidit. In ollas porrō injectus,  
igne ac pice timendas præ thermis suis has Dio-  
clerianō laudavit. Ad extremum ex equuleo à  
genio tutelari ad tipas Silari asportatus , placidè  
inter umbras árboris animam vītricem cælo  
transfusit , puer, si annos ; senex , si triumphos nu-  
meremus. Ex Surio.

Neganda sunt terrena omnia, ut melioribus zo-  
bundemus. & contemptu universorum Christus se-  
quendus est, & spiritualium æternitas terrenorum  
est damno comparanda. S.Hilarius in Evang.

S. LANDELINVS CONF. 15.Iunij.

I N latrones incidisti, quisquis è bonorum soda-  
litio in malorum conturbernum transisti. Hoc  
ad eò LANDELINO crede. Hic è prima Gallorum no-  
bilitate, & à puerō inter literarum & pietatis stu-  
dia educatus, dum aures vocanti D E O claudit, ape-  
rit avocantibus ; dum amicis esse amicus ad aram  
studet, penè ad inferos fuit. Certè quem inter  
religiosorum hominum cohortes militare cognati  
noluerunt , inter publicos prædonum manipulos  
mereri viderunt. I nunc sanguis , & aspergi ma-  
culam generis splendori querere , cùm in Dei  
servitium abeundi tui ; at tu adolescentia audi,  
quantum custodi Angelo debeas ! Diripiendis  
cujusdam ædibūs nox erat dicta à LANDELINO.  
Sed fortior mors LANDELINI familiam prior diri-  
puit, socium subito auferendo , quem in paucis ille  
chatum habebat. Ob id tristiori in somnis bonus  
genius astitit, & malum socium à pejoribus genijs  
ad inferorum flamas abripi monstrans, Heus, aje-  
bat, an & nunc socius huic eris? Enimvero non pla-  
cuit jam Thescum esse , Pirithoo ad orcum ab-

N 4

cunte.

296 VITA SANCTORVM 16. Junij.

cunfe. Damnat proinde viram pristinam , ter supplex ad DD. Apostolorum it limina , & post extrema compluria cœnobia , & MAGNAE MATRI templum, post edita miracula, sub annum DC. L. cilicio, & cineri incubans , sancte emoritur. Vbi tunc socij olim peccantis ? crede iterum LANDE-  
LINO, quisquis cum pluribus peccas , aut solus flebis, aut serò flebis. Ex Surio.

Melius est habere malorum odium , quam con-  
fortum : sicut bona multa habet communis vita  
Sanctorum; sic plurima mala societas affert malo-  
rum. Isidor. 1.2. soliloq.

S. BENNO EPI SC. 16. Junij.

BENNO ex illustri Saxonum sanguine mona-  
chus, ex monacho Misnensium Pontifex , Sla-  
vos sub Christi jugum egir. Captus bello Saxonico ab Henrico IV. Imp. & libertati restitutus,  
Romam abiit , pars magna illic Concilij futurus:  
inde redux templisui claves , quas in Albim, cum  
iter ingrederetur, abjecerat, in pisce recepit ; pedo  
aquam è terrâ, precibus ex aquâ vinum dedit ; sibi  
per undas viam stravit: manibus Cælitum non se-  
mel ad suos per magna iterum spatia compendio  
est transportatus. Misericordie Marchionem , quo die  
lapam ab eo accepérat , hoc eodem , anno ver-  
tente , moriturum dixit, & vatem fuisse mors mi-  
nimè mendax ostendit. Clariuit innumeris semper  
miraculis, tum præcipue , postquam Monachium  
Bojorum caput translatus est. Ibi ille pugnantem  
in se populi pietatem beneficis quotidianis certat  
vincere, certamine hoc etiam jucundiore , quod  
clementes vel victi triumphant. Ex Hieron. Emsero.

Cogita peregrinationis tua miseriam , cogita vita  
humana